

Keim 3488 C 1-127

575

6

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
S I S T E N S
ANALECTA QVAEDAM
D E
MORBIS VENEREIS
OBSERVATIONIBVS
S V P E R S T R V C T A.

Q V A M
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO
IOANN. CHRIST. REIL
MEDICINAE AC CHIR. DOCT. ET PROFESS.
THERAPIAE P.O. SCHOLAE CLINICAE DIRECTORE
ET CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,
P R O
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
SOLEMNITER OBTINENDO
DIE IV. FEBR. MDCCXCII.
PVBLICE DEFENDET,
AVCTOR
IOANNES FRIDERICVS ROTHE,
H A L E N S I S.

H A L A E,
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.

INSTITUTIONE IN VENERE
SICUTI
ANALYTICA QUAE
DE
MORBUS VENEREIS
OBSERVATIONIBUS
SVEVICIS ET
ALII

ACTORIS ET CURATORIS
CLASSIS CHIRURGICAE
IN HOSPITALI
SVEVICO
IOHANNES GIESSEN REIT
M.D.C.C.C.

GRABY DOCTORIS MEDICINAE
SVEVICI
PUBLICE
PROFESSORIS
IOHANNES FRIEDRICHUS KOTHE
M.D.C.C.C.



ANALECTA QVAEDAM
DE
MORBIS VENEREIS
OBSERVATIONIBVS SVPERSTRVCTA.

SECTIO PRIMA.
INSTITVTI RATIO.

Si ad ingentem librorum numerum species, quos de morbis venereis conscriptos esse constat, primo certe intuitu novum de hoc morborum generis librum conscribere, super-

vacaneum laborem facile habebis. Prae reliquis autem libris clarissimi Girtanneri opus vario respectu, atque eo gradu eminere videtur, vt, qui post hunc seorsim et fufius tractare vellet horum morborum theoriam, medelam atque historiam, Iliadem post Homerum conſcripturum eſſe, non pauci exiſtimaturi eſſent.

Re vero ſerius perpenſa, aliter eam ſeſe habere intelliges. Ego certe, vt ingenuè fatear, quae de his ſentiam: propter ipſam librorum, huc pertinentium copiam atque naturam novum de his morbis opus deſiderare poſſe mihi videor. Quid vero ſit, quod ita iudicandum eſſe exiſtimem, plura evincunt argumenta. Vnum ex his hoc loco in medium proferam; reliqua autem, vt fore ſpero, alio et magis congruo loco.

Auctores nempe recentiores, quibus ſummam fidem habuerunt lectores, in pertractanda horum morborum theoriam atque medela, quae certa et extra omnem dubitationis aleam poſita ſunt, non ſatis exacte a reliquis omnibus ſeparare ſtuduerunt, quae dicis ex adverſo reſpondent. Vſi potius ſunt dicendi genere
ita

ita comparato, vt non nisi de rebus omnino evictis et omnibus numeris absolutis sermonem esse existimes. Hypotheses veluti veritates passim proponunt, vbi nullus sit dubitationi locus. Ne multa, particulam *certain* ab *incerta* non satis exacte separarunt. Iam vero quae inde damna redundare queant in theoriam medicam aequae ac praxin, non ita difficile est intelligere. Quae enim hoc dicendi genere proponuntur, ita facile certa habentur, vt multi a meditationibus et experimentis huc pertinentibus iisque forte necessariis abstinendum esse putent. Observationibus aequae ac ingeniis medicorum aptus locus non est, qui quidem esse possit. *Neque enim exacte definitum est: quorsum potissimum dirigendum sit investigandi vel observandi studium?* Hinc igitur erroribus fidem diu habebunt, aliaque, quae multo prius in apicum poni possent, non nisi sero illustrabunt, hac forte illave urgente necessitate.

Itaque nostrum esse puto, vt particulam *certain* ab *incerta* multo exactius separare studeamus. Id quod respectu omnium morborum, qui venerei dicuntur, quantum in viribus

bus est, praestare conabor alio loco; hoc vero vnum alterumve exemplum praemittere liceat, quo quidem dicta probari posse videntur.

Itaque paucis quibusdam recentiorum hypothesibus, quas quidem in pertractandis morbis venereis veluti veritates proponere non dubitarunt, nostra quaedam dubia opponere liceat.

Neque vero in animo est, sola quadam argumentorum *copia* ac *subtilitate* pugnare. *Observationes* potius fideliter referam huc pertinentes atque a Diario meo, huic aegrotantium classi seorsim dicato, passim desumptas. Quibus quidem praemissis, multa verba facere non opus erit, vti dictis fidem conciliemus. Quod enim *aliquot exemplis* probare in animo est: *partes doctrinae de morbis venereis incertas et dubias ita a recentioribus passim proponi, ut veluti absolutae et extra omnem dubitationis aleam positae esse videantur*, ideoque *dubitationibus* saepe locum adhuc *superesse*, vbi *nullum esse monuerunt auctores*: id sane ex ipsis observationibus, simpliciter relatis,

tis, fati superque patebit. In maiorem autem rei fidem ac illustrationem alia quaedam argumenta his demum subiungam, quae fini proposito respondere videntur.

SECTIO SECVNDA.
 BIGA OBSERVATIONVM
 E
 DIARIO NOSTRO DESVMTA.

OBSERVATIO PRIMA.

Iuvenis annorum 21. cum scholam adhuc frequentaret anno 1788. post coitum impurum gonorrhoea afficiebatur atque externis vlceribus cancrofis praeputii. Remediis internis adstringentibus protinus adhibitis, post tres dies fluxus vrethrae evanescebat; vlcera autem remediis externis tractata post aliquot demum septimanas disperebant. Gonorrhoeam subito profligatam nullum tamen malum excipere videbatur; nisi forte glandularum inguinalium tu-

tumorem exiguum referre huc velis, qui quidem paulo post (octo circiter dies post gonorrhoeam fugatam) in conspectum prodiit, neque remediis discutientibus cessit, sed per duos annos eodem gradu, aucta tamen sensim tumoris duritie, perseveravit. Scrotum subinde per duos hos annos vlcusculis perexiguis afficiebatur, quae tamen vt plurimum sponte (et passim adhibitis remediis saturninis) post aliquot dies evanescebant, saepius vero redibant. Subinde itidem femora corripiebant eadem ratione.

Is iuvenis ad finem anni 1790 in auxilium me vocavit. Dicta morbi historia enarrata, ardentem rogabat, ut ab istis vlcusculis scrotum aequae ac femora subinde afficientibus et a bubone indurato, siquidem id fieri posset, omnino eundem liberarem. Coitum ante duos annos celebratum ita dolebat, vt verba de hoc faciens, lacrymas profunderet.

Cum vero denudatis partibus praeter bubonem perexiguum ac induratum nihil omnino conspicerem, quod praeter naturam sese haberet, neque proximis hebdomatibus vlcera, de quorum frequenti recurſu querebatur, redire

vi-

viderem, nullum fere fuasi remedium. Lini-
mentum volatile inungi curabam, decoctum
vero e radice graminis et farsaparillae germani-
cae atque similia ideo suadebam, vt aliquid
moliri eiusque precibus, quouis die repetitis
fatisfacere viderer. Coitum ante duos annos
celebratum in culpa esse, verosimile non ha-
bebam. Repetita vero saepius quaestione de
coitu serius iterum forte admisso, hunc sem-
per negavit. Neque minima erat dissimilatio,
nis suspicio; mens enim aegri sincera atque de-
tristi forte ac ferotino eventu coitus ante duos
annos celebrati eodem semper gradu mirifice
anxia quouis die in conspectum prodibat; ae-
gri socius, vir probus atque ingenuus, qui
aegri studiis ac moribus dirigendis praeerat,
singulis aegri narrationibus suo testimonio fi-
dem conciliabat.

Praeterlapsis diebus 21 aegrum, vti
quouis die praegresso, de eventum nimis follici-
tum et vitam ante duos annos actam anxie
dolentem relinquo; vix paulisper mutata bu-
bonis duritie; die vero 22 testiculum dextrum
paululum tumescere video. Aegro tamen
non fateor, quae animadvertere mihi videar,
sed

sed fomentationes frigidas suadeo. Die autem 23 et 24. testiculi tumor subito increvit, atque testiculo venereo, qualis a gonorrhoea suppressa esse solet, simillimus evadit. Aeger antea de rebus suis iamiam sollicitus, quae nova nunc superveniant, anxio et perterrito animo enarrat. Nulla aderat gonorrhoea; neque minimum ulcusculi venerici vestigium. Bubo induratus idem erat, qui antea. Contagii novi forte admissi nulla erat suspicio. Ad quaestionem enim hac de re per quatuor menses (tot enim menses et quod excurrit, malum solitis remediis pertinaciter resistere vidi) saepissime repetitam et passim addita admonitione: gangraenam aliaque a novis remediis nunc tentandis facillime oriri posse, siquidem *novum* contagium admisset: aeger tamen noster, quamvis omnino meticulosus atque de prospera valetudine mirifice sollicitus, idem semper, negando nempe, respondit.

Remedia solita antiphlogistica (hirudines, fomentationes frigidae, clysmata ex opio, aliaque) malum non superant. Dolor quidem paulisper remittit, non vero evanescit. Tumor vix decrevit. Adhibentur plura discuti-

tien-

tientia externa, camphorata, aromatica volatilia, quin per aliquot dies mercurialia; sed frustra.

Aeger methodum antivenerream internam postulat, iterum repetita, quam vel sexcenties excitaverat, querela: miasma venereum, quo ante duos annos se conspurcasset, olim non esse superatum, et huic soli omnia ista pathemata deberi, quibus per hos duos annos vexatus esset et quorum vltima ego quoque observassem et nunc adhuc conspicerem.

Ego primum repugno. Die autem 109 post primum tumoris vestigium pars scroti rubescit, et superficietenus exulceratur. Humorem tenuem puriformem stillat. Et hoc quidem pathema, illud esse, aeger monet, de quo saepius coram me questus esset, et quod nunc prima vice iterum recurat. Tandem igitur pulveris e mercurio cinereo Blackii gr. ii et rad. liquirit. Si praescribo. His usus est per tres hebdomades, nexis, quae solita sunt, reliquis remediis et congrua diaeta. Consumsit pulveres 38. sed malum non cessit.

Dis

Die tertio mensis Maii anni 1791 ex vrethra guttulae aliquot stillant. Idem observatur die quarto, quinto et sexto. Tumor testiculû *paullulum* minui mihi videtur; aeger autem atque adstantes id fieri negant. Die septimo, octavo et nono Maii nihil amplius ex vrethra effluit.

Nunc cepi consilium, Gonorrhoeam arte excitandi; experimenti autem gratia primum candelulam immitti curo, medicamento irritante minime illitam. Effluxus aliquot guttularum, inde per aliquot dies excitatus, nihil mutat. Tum varia medicamenta irritantia iniici curo; primum solutionem simplicem salis communis aquosam, tum solutionem lapidis caustici aliaque. Hinc gonorrhoea excitatur dierum trium; dierum 5; dierum 2 et vltima quidem doloribus nimis stipata, quam quod experimentum continuare potuerim. Ivolventia potius et opiata iniici curo, et per sex dies ab omni experimento abstinendum esse moneo. Interim tumor testiculi idem remansit; ovarum nempe anseris circiter duorum volumen prae se ferebat; vix dolebat; aeger autem non sine magnis molestiis incedebat, ideoque
per

per omne hoc tempus vix vnquam domicilium reliquit, neque aliter nisi curru vectus aëris beneficio frui potuit.

Die primo Iunii 1791 miasina *venereum* candelula immitti curo. Repetitur experimentum eodem die. Die secundo Iunii dolor testis in vrethra; versus vesperam dolor ingens sub mictione. Nocte sequente guttulae aliquot effluunt. Die tertio, quarto et quinto leucorrhoea copiosa. Die sexto Iunii, cum ad aegrum matutino tempore accederem, tumorem testiculi vltra dimidiam partem decrevisse video. En, mirum insitionis effectum! *Tumor testiculi, citra omnem novi contagii suspicionem obortus, hominem, cui ante duos annos 1788 gonorrhoea suppressa erat, neque aliis malis sensibilibus relictis, nisi bubone indurato et vlcusculis levissimis passim recurrentibus, inde a media circiter parte mensis Ianuarii anni 1791 vsque ad diem primum Iunii eiusdem anni vexat; omnibus remediis quin ipsi insitioni remedium iritantium pertinaciter resistit, et excitata denique leucorrhoea venerea post tres dies*

*dies ultra dimidiam partem de-
crescit!*

Leucorrhoea arte inducta post tres hebdomades sponte evanuit. Tumor testiculi paullo magis interea decrevit; remansit autem intumescencia quaedam, subdura, sed neque dolorifica neque sub ambulatione molesta. Ulcuscula non iterum comparuerunt. Glandularum inguinalium exiguus tumor idem remansit, qui fuerat ante duos annos.

OBSERVATIO SECUNDA.

H.... vir annorum triginta quatuor anno 1785. paroxysmis arthriticis corripitur. Dolent passim pedes, femora, scapulae, manus. Iam ante aliquot annos (prima nempe vice 1778) similes dolores perceperat neque vero adeo atroces et perseverantes quam anno 1785. Hoc enim anno dolores yagi aegrum per octo hebdomades bis excruciarunt, tempore nempe vernali et autumnali. Symptomata laesae digestionis manifesta paroxysmis arthriticis socia erant atque pedisequa. Me-
di-

dicus itaque in auxilium vocatus digestionis officinae potissimum prospexit. Purgatis enim primis viis remedia tonica, imprimisque extracta amara largiter praescripsit. His demum nexit usum extracti Aconiti, cui potissimum malum anni 1785 cedere visum est.

Sequenti anno 1786 tempore vernali dolores arthritici non redierunt. Quin etiam a vagis istis ac levioribus doloribus liberum sese fentiit Noster, quibus olim per breve tempus passim ac saepius vexabatur. Ulcus pedum per tres septimanas aegrum tenet, sed sponte consolidatum, nostrum per aestatem anni 1786. sanum relinquit. Tempore autem autumnali paroxysmus arthriticus gravior revertitur. Eadem remedia, quibus anno priori usus erat in auxilium vocat; malumque his iterum cedit.

Anno 1787 mense Aprili coitu impuro miasma venereum suscepit. Neglectis remediis congruis, a medico prudenti propinatis, ipsa demum lues venerea oboritur. Ulcera penis, bubones, ulcera palati, scabies venerea, ulcus pedum eo, quo dixi, ordine sequun-

quantur. Malum a medico experientissimo tractatum mense Iunii 1787 omnino fugatum esse videtur.

Tempore vernali subinde dolores vagi extremitates afficiunt. Vicus itidem in suris erumpit. Vtrumque malum originis arthriticae esse videtur; atque extracto Aconiti per quatuordecim dies adhibito, iterum evanescit.

Hieme anni 1787. Noster bene se habet, siquidem ab exiguis doloribus discesseris, quibus subinde sed rarius scapulae et pedes corripiebantur, atque ab ulcusculis scrotum passim afficientibus per octo et aliquoties per quatuordecim dies.

Anno 1788 mense Februarii contagium venereum iterum admittitur. Malum vero in partibus genitalibus subsistit. Remedia externa mox in usum vocata sufficere videntur. Ad finem eiusdem mensis Februarii ulcera praeputii, leucorrhoea atque bubones, quorum vnus in latere sinistro suppuratione, alter discussione solutus erat, omnino disparuerunt.

Re-

Reliqua huius anni parte nihil mali sentit, nisi levissimos istos dolores vagos, incerto tempore passim scapulas et pedes afficientes, et mense Aprilis, Augusti atque Decembris humectationes quasdam puriformes ad ferotum, nunquam tamen longius quam quatuordecim vel viginti dies perseverantes. Vtrumque, uti prioribus annis, arthriticæ dispositionis effectus aeger habet.

Iam vero anno 1789. Noster de nuptiis ineundis serio cogitans, a solitis istis pathematibus, quæ arthritica habet, liberari cupit. Mense itaque Augusti 1789 auxilium meum postulat. Dicta narrat, atque hoc anno 1789 solitos dolores præprimis exiguos sed frequentiores tamen fuisse monet. Simul tamen ex me quaerit: an forte miasma venereum, anno 1787 et 1788 susceptum in culpa simul esse queat? - Virginem, quam in matrimonium ducere placebat, ardentissimo amore amplectebatur; idioque ab omni fomite contagioso purgari volebat. Perpenſa morbi historia, imprimisque habito respectu ad curationem anti-veneream anno 1787 medico experientissimo ministratam, ad mala venerea anni 1788

B

me-

mere topica ab eodem medico egregie tractata, atque ad reliquam sanitatem qua quidem inde a fine mensis Februarii anni 1788 ad hunc usque diem (tertium Augusti 1789) fructus erat: sequenti ratione indicavi. „Mala, inquam, „quae supersunt, et vagis temporibus recur- „runt ab arthritica corporis dispositione aequae, „ac venerea labe evenire *possunt; vero similis* est, fomitem arthriticum vnicuique adhuc „in culpa esse; optimum vero consilium aegro „praebendum neminem posse melius dirigere „quam quidem aegrum ipsum. Omnis res, „inquam, eo *momento nititur: an post morbos venereos anni 1787 et 1788 contagium venereum iterum admiserit, nec ne?* - His ille serio respondit: vtrique morbo venereo, quam ingenue passus sit, coitum impurum occasionem praecipuisse; si quidem vero a binis his occasionibus discesserim, *nunquam* amplius rem sese habuisse cum foemina, nedum impura. - Tum ego varios modos Nostro vberius expono, quibus quidem miasma venereum suscipi queat. Sed iste nihil horum omnium admissum esse post mensem Februarii 1788. iterum iterumque monet. Virginis autem, quam in deliciis habebat, tenerrimum amo-

amorem adeo luculenter tum prodidit, vt nulla mihi superesse potuerit diffimilationis suspicio.

Vlceri itaque in furis, quod nunc aegrum tenebat ac levibus istis ac vagis doloribus remedia opposui antarthritica, imprimisque extractum Aconiti, quo saepius vltus fuerat cum euphoria.

Vlcus his pertinaciter restitit; mense tamen Octobris omnino cedit. Circa scrotum autem humectationes istae pluriformes, seu excoriations vagis temporibus iterum iterumque redeunt. Vagi autem isti dolores rarius aegrum invadunt.

Atque hac quidem ratione se habuit per annum 1789 et 1790. Miasmatis venerici vix amplius memor vnice remediis *generalibus* et passim *antarthriticis* inhaesi.

Recurrentibus tamen passim istis excoriationibus circa scrotum, saepius examen de miasmate venereo nuperius forte suscepto, repeti. Viri autem, ceterum probi, atque hone-

sti, easdem accepi responsiones; quas olim perceperam. Accessit huc nova querela, quae miasmatis venerei, nuperius suscepti, suspicionem eo magis remove videbatur. Mense nempe Iunii 1790 simul querebatur: rarissime sese per hunc annum 1790 erectiones penis percepisse, cum tamen olim frequentissimae fuerint; et multo nunc saepius ac olim lectum sese polluere tempore nocturno. Praeter solitam itaque querelam (de miasmate venereo forte latente) novam nunc excitavit de impotentia virili, nuptiis mox celebrandis misero forte impedimento.

Diaetam roborantem, nutrientem, equitationem, balnea, chinata aliaque praescripti. Tertio mensis Septembris anno 1790 virginem honestam ac pudicam in matrimonium duxit. Ab ulceribus solitis mense praecedente Augusti et Iulii omnino immunis fuerat; non vero a doloribus istis vagis, sed admodum exiguis et mox evanescentibus.

Die decimo tertio Septembris ad me venit et de impotentia virili queritur. Penem quidem erigi narrat, seminis autem excretionem
aeger

aegerrime quin saepius plane non succedere. Quibus perceptis ego lauro: coitum rarius celebrandum, balnea topica frigida, nutrimenta, roborantia.

Die Septembris vigesimo vlcus conspicitur in furis. Die primo Octobris excoriationes scroti, quae humorem subinde stillant puriformem. Malum, quo saepius Noster laboravit, redire putamus. Dolores itidem pedum et maxillae inferioris vagi superveniunt.

Die decimo Octobris vlcuscula proveniunt circa labii inferioris partem internam et circa palatum. Ginitalia denudari iubeo; praeter levissimam autem scroti excoriationem, qualem saepissime in hoc viro antea conspexeram, quaeque post aliquot dies sponte iam evanescebat, nihil morbosum inveni. Vlcus in furis latius serpit ac olim. Vxor omnino sana. Vlcera oris mariti venereis simillima.

Quaestionem saepissime motam iterum moveo, atque vxoris dilectissimae sanitatem omnium dissimulatione in summum periculum duci moneo. Sed iste Noster lacrymas profundens
per

per Deum omnipotentem iurat, mense Februarii anni 1788 vltima vice rem sese habuisse cum foemina, et reliqua omnia, quae de sua aegritudine mihi hactenus narraverit verissima esse.

Miasmatis venerei suspicionem iterum mitto. Ad prima quaevis contagii, ad vxorem forte propagati, vestigia attendere iubeo. Aqua calcis recenter parata vlcera humectari curo; ceterum autem nihil omnino quid praescribo, cui virtus est antivenerica, sed multa -- ne longus sim -- alia, antarthritica, purificantia, generalia.

His malum non cedit, sed latius serpit. Vxor sana remanet. Circa genitalia mariti nihil emergit praeter naturam. Coitus raro celebratur; excretio enim feminis aegerrime succedit. Osculis frequenter delectantur, sed vlcera mariti partes oris non nisi internas tenent. Vlcus in furis in diem peius se habet, item vlcera oris interna. Passim quoque recurrant excoriationses scroti.

Die

Die denique vigesimo Novembris eiusdem anni multis remediis incassum adhibitis, methodum antiveneream instituendam curo. Balneis pluribus tepidis praemissis mercurium nitrosum atque decoctum sarsaparillae germanicae praescribo. Vfus his aeger est per tres hebdomades. Quibus quidem praeterlapsis non solum ulcera oris, scroti et pedis perfecte sanata sunt, sed etiam omnino fugati his sunt dolores isti vagi aliaque mala, quae aegrum *per plures annos* vexaverant; quin etiam tribus iterum septimanis praeterlapsis, *impotentia* ista *virilis*, quae nutrientibus aliisque remediis superari non poterat, nunc penitus devicta est. Vxor sana remansit, atque maritus inde a fine mensis Decembris anni 1792, ad hunc vsque diem (decimum quintum Ianuarii 1792) eo sanitatis gradu delectatus est, quo quidem inde ab anno 1785, vsque ad finem anni 1790 frui non licuit. Praestiterunt haec mercurii nitrosi grana viginti, bis repetita.

 SECTIO TERTIA.

QVAE EX HIS OBSERVATIONIBVS
DEDVCI,
ALIISQVE, QVAE ACCEDVNT,
ARGVMENTIS ILLUSTRARI POSSE
VIDEANTVR?

Observationes nunc enarratae satis superque docent: recentiorum theoriam de testiculo venereo, atque de miasmatis venerei effectibus minime absolutam esse sed variis potius difficultatibus nunc adhuc premi. Id quod perperis istis observationibus Lectores ingenui ac Recentiorum theoriae de his morbis bene memores, vario respectu facillime intelligent. Neque ideo multa verba addere placet, cum ipsae observationes, ut ita dicam, loqui videantur. Pauca tamen seorsim et nominatim attingam, quae e dictis deduci possunt, quaeque ulterius ac publice defendenda mihi sumo.

PATET E DICTIS:

*Primum: tumorem testiculi venereum
neutiquam semper habendum esse et cu-
ran-*

vandum venire veluti morbum consensuallem.

Prima, quam enarravi morbi historia casum spectat, vbi nulla omnino praesto erat vrethrae affectio. Neque certe a gonorrhoea, ante duos annos suppressa causam sympathicam derivabis. In hoc itaque casu dubium nullum superest.

Simile autem quid passim valere videtur, vbi vere suppressa est nuperius gonorrhoea. Neque enim in hoc casu tumorem testiculi aliaque quae passim sequuntur mala mere consensualia semper haberem. Sint argumento, quae dicam:

- 1) In his morbis ipsum effluxum, sive veneream vrethrae irritationem ad restitutionem sanitatis *propius* facere, quam quidem recentiores putant, vel ex eo autumare licet, quod passim, aliis remediis antiphlogisticis incassum adhibitis, insitio demum miasmatis venerei morbum fugavit.

2)

- 2) In morbis huc relatis saepe observamus; erectiones penis minus esse, quam antea, dolorificas; vrinam minus moleste quin passim sine omni molestia profluere; immo denique ipsam leucorrhoeam continuare. Haec sane omnia apud eos saepius observavi, qui testiculo sic dicto venereo laborabant. Idem malum eos passim corripuisse vidi, qui leucorrhoea per sex menses laboraverant, neque notabiliter imminuto fluxu habituali.
- 3) Gonorrhoeam suppressam non vnice sequuntur morbi inflammatorii (quorum quidem vnice mentionem facere consueverunt Recentiores nonnulli) sed etiam morbi alius generis; vti indurationes, sorditas aliaque, quae passim mercurio, vel insitioni cedere visa sunt. Refert exemplum huius generis cl. *Lange* in commentatione de ophthalmia. Tirnaviae 1777. cuius quidem libri non meminit cl. Girtanner.
- 4) Metastasin miasmatis venerei *impossibilem* esse, ex anatomicis non evincitur.
- Rec-

Recte enim *Müllerus* inquit, „ Wenn in der Pathologie nichts geschehen sollte, als was der Anatomicus billigt (subintelligit his verbis minus congruis; wozu der Anatomicus die *Wege*, wo es geschehen kann, und die *Art*, wie es geschieht und dergleichen *gesehen hat*) so würde wenig geschehen! Immo vere dictum hoc est! Non existeret nervosa cordis palpitatio, non essent febres nervosae, non essent, qui sunt, sexcentum alii morbi!

- 5) Ponamus, in morbo qui leucorrhoeam sic dictam suppressam sequitur, nullam factam esse virus venerei metastasin. Iam moneo leucorrhoeam a miasmate venereo excitatam nihilominus tamen istius generis morborum necessarium esse posse remedium. Et *quare? quia specifica* forte opus est *urethrae irritatione ad commutandum nervorum consensum*. En certe momentum investigatu dignissimum! Mitto vero hoc aliaque subtiliora, fidem habens observationibus.

Dein

Deinde: simile quid valere circa alios morbos venereos, quos recentiores nonnulli mere consensuales habent.

Suadent hoc argumenta dictis similia. Neque caremus observationibus huc pertinentibus. Praeprimis tamen in votis haberem, ut horum memores essent Auctores in pertractanda *ophthalmia* ista *acutissima*, quae gonorrhoeam excipit subito suppressam. In morbo enim, qui nobilissimam hanc partem adeo laedere consuevit, ut vix vnum casum cognitum esse moneant, quo coecitatem avertere licuisset, alienum certe non erit, de his dubiis serio cogitare, observatoribus, qui insitionem leucorrhoeae profuisse testantur, aures praebere, neque in gratiam theoriae praeconceptione antiphlogisticis vnice inhaerere. Ego certe antiphlogisticis protinus et liberaliter in usum vocatis nisi mox ab his morbum levare et coecitatis periculum removeri viderem, insitionem tentandam esse existimarem. Ita enim pro observationibus hucusque cognitis, pro theoriae hodiernae certitudine,

at-

atque pro morbi, de quo fermo est, decursu et periculo iudicandum esse puto; imprimisque, si forte vtrumque oculum morbus afficeret.

Denique: vt alia taceam: recentiorum doctrinam de miasmate venereo nunquam citra solita phoenomena in corpore diutius latente minime ita veram atque evictam esse, qualis proponitur a celeberrimis viris, uti a Girtannero, Wedekind aliisque.

Immo vero de his alibi fufius dicam. Quas enim superius praemisi observationes illud saltim evincunt: non sine iure recentioribus quibusdam me vitio vertitisse, quod in doctrina de morbis venereis exponenda, ea, quae minus definita et dubia sunt, veluti evicta et absoluta proposuerint. Id quod in hac dissertatione exemplis quibusdam illustrasse sufficiat.

Haec tamen coronidis loco *animadversionem* subiungam, Lectori forte haud ingratam. Memini superius in vtraque obser-

observatione *excoriationum* quarundam
quae incertis temporibus varias partes,
saepissime tamen scrotum afficiebant.
Spontaneas has *excoriationes*, quae sae-
pius redeunt ac evanescent, humorem-
que puriformem stillant, in tribus aliis
aegris iterum observavi, quorum aegri-
tudo quoad causam veneream, sive ad-
huc superstitem sive absentem, non mi-
nus erat obscura. Methodo autem *anti-
venerea* eadem ratione sanitatem ipsis re-
stitui, multis remediis frustra praemissis.
Hinc *istas spontaneas excoriationes*, im-
primisque *scroti*, *signum* fere habere
consuevi, quo fretus ad mercurialia con-
fugio, *ubi* non solum miasmatis venerei,
olim manifesta et solita nunc vero insolita
ratione corpus afficientis, iusta quaedam
est suspicio; sed etiam morbi, qui nunc
praesto sunt, neque solitis remediis mox
cedunt, neque usum mercurialium omni-
no prohibent.

THE.



T H E S E S.

I.

A vera lactis metastasi febrem puerperarum vel vllum alium morbum induci, nondum probatum est.

II.

Nomen febris *biliosae* aut *gastricae* proferendum est e Medicina. A fordibus enim primarum viarum *vera februm species, quam propriam habere liceat*, minime inducitur.

III.

III.


Spiritus Nitri dulcis praescribendus non
est.

IV.

Nullum adhuc auxilium constat, quod
affectibus lesae respirationis, qui in morbo
varioloso obveniunt, tuto succurrat.

W18
PICA





6

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
SISTENS
ANALECTA QVAEDAM
DE
MORBIS VENEREIS

GI
V
IO
I
THI
GR
IO

